Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32271
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

exemplum christianorum iussus catenis obligatus ante sedem eius
traheretur. Uno autem tempore in die processionis sue veniens mar-
cellus episcopus obtulit se maximiano augusto dicens ei. Pie-
tati tue suggero servos dei qui orant pro regno tuo et pro re
publica. quare trucidas. Tunc iratus maximianus augustus. pre-
cepit ut fustibus cederetur et expelleretur marcellus episcopus.
Et iussit carpasio vicario dicens ei. Audi carpasi. Ciria-
cum sacrilegum qui carminibus magicis et incantationibus
suadet hominibus christum confiteri. diversis penis affige
si non libamina diis obtulerit. Eodem tempore carpasius vica-
rius. mittens ad custodiam. adduxit ciriacum diaconem. lar-
gum et smaragdum. et crescencianum. et iussit eos in tellu-
de presentari. Quibus dixit. Quare non obeditis preceptis princi-
pum. et non offertis libamina diis immortalibus. Respondit ciriacus
cum largo et smaragdo et crescenciano. Nos ipsos domino
ihesu christo offerimus. Carpasius vicarius dixit. Facite quod vobis
iubetur. Et dixit ad sanctum ciriacum. Senectus tua alba est sicut cin-
ere facta. sed modo eam iuvenem facio. Et iussit picem liquari. Et cum
liquata fuisset pix. precepit ut in capite beati ciriaci funderetur.
Tunc cepit clamare beatus ciriacus diaconus et dicere. Gloria tibi domine qui
nos servos tuos dignos fecisti portas regni celestis
introire. Dicit et alius carpasius. Sacrificate ne pereatis
sicut prefatus ciriacus. Dixerunt. Nos peccatores domino ihesu christo ipsos sa-
crificium offerimus. Tunc carpasius vicarius adduxit in conspec-
tu suo eculeum. et iussit suspendi crescencianum et fusti-
bus cedi in conspectu ciriaci. et largi et smaragdi. Et cum diu
attraheretur nervis et fustibus cederetur et unguibus raderetur.
voce magna clamabat dicens. Gloria tibi domine ihesu christe qui
nos ad gratiam tuam dignatus es vocare. Carpasius dixit.
Date flammas ad latera eius. Et dum diu incendio ure-
retur emisit spiritum. Cuius corpus iactari precepit ante clivum
ursi in platea ante templum palacii. Ipsa nocte venit
iohannes presbyter et collegit corpus eius et sepelivit in cimiterio
priscille in arenario via salaria. VIII. kalendas decembris. Post
mortem crescenciani. retrudit carpasius largum et smarag-
dum et ciriacum in custodiam. Et post dies. IIII. sedit in eodem loco
in tellude. et precepit sibi presentari ciriacum diaconem. Cui sic
dixit. Quare dies senectutis tue + deducis ad inferos. Ciri-

+ cum tormentis

acus diaconus dixit. Ego semper hoc optavi. Dixit ei carpasius.
Sacrifica diis immortalibus et vives. Ciriacus dixit. Sacrificent
eis qui non noverunt creatorem suum dominum nostrum ihesum christum. Tunc
iussit eum in catasta extendi. et attrahi nervis. et fusti-
bus cedi. Ciriacus autem clamabat dicens. Miserere mei peccato-
ri domine ihesu christe. Eodem die nunciavit carpasius vica-
rius omnia maximiano augusto que exercuerat in sanctos dei.
Tunc iratus maximianus iussit omnes vinctos qui erant in cus-
todia una cum ciriaco capite truncari. Et data sententia
ducti sunt cum ciriaco diacono promiscui sexus. XX. unus. et
decollati sunt via salaria inter thermas salustii foras
muros. Quorum corpora collegit noctu iohannes presbyter. et sepeli-
vit alios in eadem via. sanctum vero ciriacum collegit et condavit
sub die. XVII. kalendas aprilis. Ipso tempore maximianus interfecit soro-
rem suam arthemiam. Et post. VIII. dies veniens beatus marcel-
lus episcopus cum lucina matrona christianissima. et condivit corpora
sanctorum cum aromatibus et linteaminibus. et inposuit nocte in pa-
gone cum eunuchis suis et sustulit vero condati fuerant.
Translata sunt corpora cum sancto ciriaco in predio eius via ostiensi.
miliario ab urbe roma septimo. ubi
requiescunt in sarcofagis lapideis. quos manu sua recondidit
beata lucina in pace. anno. VII. die mensis augusti. Prestante
domino nostro ihesu christo cui est honor et gloria in secula seculorum amen. Vita sancti Altmanni

Scripturus vitam et actus venerandi Pataviensis episcopi.
presulis altmanni non ingratum reor lectoribus fore
pro ortum saxonice gentis breviter prelibare. de qua idem vir domini cog-
noscitur originem duxisse. Gens itaque saxonica de exerci-
tu magni alexandri traditur oriunda. Post cuius mortem ptolo-
meus et anthiochus et alii quam plures regnum inter se divise-
runt ac diuturnis bellis orbem longe lateque presserunt.
Quedam vero pars exercitus de gregariis militibus que superstes
remanserat in gallia mare piraticam exercuit. Hec classi
armis instructa. cum manu valida ad albim fluvium
perveniens applicuit. terram thuringorum hostiliter invasit.
sit. habitatoribus occisis cuncta illorum bona diripuit
et omnia loca eorum usque ad montem qui ramisberc dicitur usque in
hodiernum diem perpetuo iure possedit. Hii homines longis
cultellis ut hodie [illegible] pro gladiis utebantur. qui lingua

slavi